

Facti sumus opprobrium vicinis nostris : \* subsannatio et illusio his, qui in circúitu nostro sunt.

Usquequo Dómine irascéris in finem : \* accendétur velut ignis zelus tuus?

Effúnde iram tuam in Gentes, quæ te non novérunt : \* et in regna, quæ nomen tuum non invocavérunt.

Quia comedérunt Jacob : \* et locum ejus desolavérunt.

Ne memineris iniquitatum nostrárum antiquárum, cito anticipent nos misericórdiæ tuæ : \* quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos Deus salutáris noster; et propter glóriam nóminis tui, Dómine, libera nos : \* et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

Ne forte dicant in Géntibus : Ubi est Deus eórum? \* et innotéscat in natióibus coram óculis nostris,

Ultio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est : \* intróeat in conspéctu tuo gémitus compeditórum.

Secúndum magnitúdinem bráchii tui, \* pösside filios mortificatórum.

Et redde vicinis nostris séptuplum in sinu eórum : \* improperium ipsórum, quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus, et oves páscae tuæ, \* confitébimur tibi in sæculum.

In generatióem et generatióem \* annuntiábimus laudem tuam.

Glória Patri. Sicut erat, etē.

Deinde, finito Psalmo, et repetita Antiphona, Pontifex, deposita mitra, surgit, et stans versus ad altare, dicit :

OREMUS.

**N**OSTRORUM tibi, Dómine, curvántes gènuá córdium, quæsumus, ut bonum quod in nobis a te requiritur exequámur; scilicet, ut prompta tecum sollicitú-dine gradiétes, discretiónis árduæ subtile iudicium

faciámus; ac misericórdiam diligétes, clareámus stúdiis tibi plácitæ actiúnis. Per Christum Dóminum nostrum. *ñ.* Amen.

OREMUS.

**M**ENTIBUS nostris, quæsumus Dómine, Spíritum sanctum benígnus infúnde, quátenus in nómine tuo collécti, sic in cunctis teneámus cum moderámine pietátis justítiam, ut hic a te in nullo disséntiat volúntas nostra, sed semper rationabilia meditántes, quæ tibi sunt plácita, et dictis exequámur, et factis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *ñ.* Amen.

OREMUS.

Et ministri dicunt : Flectámus gènuá. *ñ.* Leváte.

**D**EUS, qui nos justítiam loqui, et quæ recta sunt, præcipis judicáre; tribue nobis, ut neque iniquitas in ore, nec právitas inveniátur in mente; ut puro cordi púrior sermo conséntiat, ostendátur in ópere justítia, neque appáreat dolus in lingua, sed ex corde véritas proferátur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *ñ.* Amen.

Post hæc Pontifex, accepta mitra, ascendit ad planum altaris, et sedet in sede, seu faldistorio ibidem sibi parato.

Tum accedit Diaconus cum thuriferario, et Pontifex imponit incensum; deinde Diacono benedicit, qui procedens ad locum consuetum signat, incensat, et cantat Evangelium, ut heri, Pontifice ante sedem prædictam sine mitra verso ad Diaconum stante.

Sequéntia sancti Evangélii ✠ secúndum Lucam.

Cap. 10.

**I**n illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuaginta duos : et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem, et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis ut mittat operários in messem suam. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quacúmque domum intravéritis, primum dicite : Pax huic dómui : et si ibi fúerit Fílius pacis, requiescet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte edéntes, et bibéntes, quæ apud illos sunt : dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quacúmque civitátem intravéritis, et suscepérint vos, manducáte quæ apponúntur vobis : et curáte infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis : Appropinquávit in vos regnum Dei.

Quo finito, et per Pontificem libro osculato, et ipso incensato, Pontifex sine mitra aute sedem prædictam versus ad altare, ac aliis omnibus in suis locis genuflexis, incipit, schola prosequente, Hymnum :



Ve-ni cie-a - tor Spi-ri-tus.

Et dicitur totus, ut supra. 79. Quem schola prosequitur, ut in primo die. Finito primo versu, Pontifex surgit, stans versus ad altare, detecto capite usque ad finem Hymni. Simili modo faciunt omnes alii. Expleto Hymno, omnes sedeant in silentio. Tunc Pontifex sedens in sede prædicta cum mitra, Synodum his verbis alloquitur, si velit :

**V**ENERABILES, et dilectissimi fratres nostri, opórtet, ut sicut hestérna die admonúimus benignam mansuetúdinem vestram de divínis officiis, et sacris altáris grádibus, aut étiam de móribus, et necessitátibus ecclesiásticis, quæcúmque emendánda, vel renovánda sunt, cháritas ómnium vestrum, ubicúmque nóverit áliqua emendatióne condígna, in médium proférre non ámbigat; ut per vestræ charitátis stúdiu, Dómino largiénte, ad óptimu pervéniant statum, ad laudem, et glóriam nóminis Jesu Christi Dómini nostri.

Post allocutionem hujusmodi, vel prius, si magis placet Pontifici, sit sermo per aliquem doctum idoneum, in quo iterum tractetur de disciplina ecclesiastica, et aliis, de quibus Pontifici videbitur. Deinde Archidiaconus alta voce legit Apostolicas Constitutiones ibi non promulgatas, vel alias, pro Pontificis arbitrio. Quo finito, leguntur Constitutiones per Synodum approbandæ; quibus lectis, habito scrutinio, quæ placent, per Patres confirmantur. His peractis, Pontifex surgens benedicit omnibus solemniter, ut heri. Deinde omnes discedunt.

**D**IE tertia conventionem facta in Ecclesia, finita Missa, Pontifex paratus, ut heri, assistentibus sibi Diacono et Subdiacono paratis, genuflexus in faldistorio juxta inferiorem gradum ante medium altaris sibi parato, deposita mitra, incipit, schola prosequente, Antiphonam : Exáudi nos Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua : \* et secúndum multitudínem miseratiónum tuárum respice nos Dómine.

Psalmus 68. Salvum me fac Deus; \* quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam. Et dicitur totus, prout habetur supra in primo die. 75.

Deinde repetitur Antiphona. Incepto Psalmo, Pontifex sedet, et accipit mitram, sic manens quousque Psalmus

finiatur, et Antiphona repetatur; qua repetita, deposita mitra, surgit, et stans versus ad altare, dicit:

OREMUS.

**A**d te, Dómine, intérni clamóris vóci- bus proclamántes, unánimiter postulámus, ut respéctu tuæ grátiae solidáti, præcónes veritátis efficiámur intrépidi, tuúmque valeámus verbum cum omni fidúcia loqui. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *ñ.* Amen.

OREMUS.

**O**MNIPOTENS sempitérne Deus, qui sacro verbi tui oráculo promísisti, ubi duo, vel tres in nómine tuo congregáti essent, te médium fore; adésto cœtui nostro propítius, et cor nostrum illúmina miséricors, ut a bono misericórdiæ tuæ nullátenuS aberrémus, sed rectum justitiæ tuæ trámitem in ómnibus teneámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *ñ.* Amen.

OREMUS.

*Et ministri dicunt: Flectámus génuS. ñ. Leváte.*

**D**EUS, qui pópulis tuis et indulgéntia cónsulis, et dámore domináris; dá spiritum sapiéntiæ tuæ, quibus dedísti régimen disciplinæ; ut de proféctu sanctárum óvium fiant gáudia æténa pastórum. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *ñ.* Amen.

*Post hæc Pontifex, accepta mitra, ascendit ad planum altaris, sedens in sede, seu faldistorio ibidem sibi*

parato. Tum accedit Diaconus cum thuriferario, et Pontifex imponit incensum; deinde benedicit Diacono, qui procedens ad locum consuetum signat, incensat, et cantat Evangelium, ut heri, Pontifice ante sedem prædictam sine mitra verso ad Diaconum stante.

Sequéntia sancti Evangelii ✠ secúndum Matthæum.

Cap. 18.

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Si peccáverit in te frater tuus, vade, et córripe eum inter te, et ipsum solum; si te audierit, lucrátus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, ádhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duórum vel trium téstium stet omne verbum. Quod si non audierit eos: dic Ecclésiæ. Si autem Ecclésiám non audierit, sit tibi sicut éthnicus, et publicánus. Amen dico vobis, quæcúmque alligáveritis super terram, erunt ligáta et in cœlo: et quæcúmque solvéritis super terram, erunt solúta et in cœlo. Iterum dico vobis: quia si duo ex vobis consénserint super terram, de omni re quamcúmque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi sum in médio eórum. Tunc accédens Petrus ad eum, dixit: Dómine quóties peccábit in me frater meus, et dimittam ei? usque sépties? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque sépties; sed usque septuágies sépties.

*Quo finito, et per Pontificem libro osculato, et ipso incensato, Pontifex sine mitra ante sedem prædictam versus ad altare, atque aliis omnibus in locis suis genuflexis, incipit, schola prosequente, Hymnum:*



Ve-ni cre-a-tor Spi-ri-tus.


Et dicitur totus, ut supra. 79. Finito primo Versu, Pontifex surgens, stat versus ad altare, detecto capite usque ad finem Hymni. Simili modo faciunt omnes alii. Expleto Hymno, omnes sedent in silentio. Tunc Pontifex sedens in sede prædicta cum mitra, Concilium seu Synodum his verbis alloquitur, si velit. Poterit tamen hujusmodi allocutionem omittere, et quod ejus loco, si placebit, per aliquem doctum idoneum, de his quæ in allocutione continentur, et aliis opportunis, sermo fiat, committere.

**V**ENERABILES, et dilectissimi fratres. Convenit, ut ea quæ de ecclesiasticis officiis, et sacerdotâlibus gradibus, vel etiâ Canonicis sanctionibus, propter diversas occupationes, aut (quod negare non possumus) propter nostram, aliorumque desidiam, non tam plene, ut oportet, executâ sunt; omnium nostrum unânimi consensu et voluntate requirantur, et humiliter coram charitate vestra recitentur; ut quæ digna sunt emendatione ad meliorem statum, auxiliante Domino, perducantur. Et cui fortasse aliquid, quod digestum est, displicet, charitati vestræ cum benignitate et modestia intimare non differat; quatenus totum quod synodali conventione nostra statutum fuerit vel renovatum, absque omni contrarietate, concordia sanctæ pacis ab omnibus æque custodiatur, ac teneatur, ad augmentum æternæ beatitudinis omnium nostrum.

Post hæc leguntur Constitutiones, si quæ sint per Synodum approbandæ; quibus lectis, et per Patres, si placet, confirmatis, atque omnibus terminatis, Pontifex sedens cum mitra omnium orationibus se commendat. Deinde leguntur nomina omnium qui Synodo interesse debent, et præsentibus ad sua nomina surgunt, et respondent singuli Adsum.

Absentes vero notantur, et per Pontificem debita pena mulentur. Demum Pontifex adhuc in sede prædicta

cum mitra sedens, si placet, congregatos admonet, et exhortatur sub hujusmodi verbis :



**F**RATRES dilectissimi, et Sacerdotes Domini : Cooperatores Ordinis nostri estis. Nos, quamvis indigni, locum Aaron tenemus, vos autem locum Eleázari, et Ithâmari. Nos vice duodecim Apostolorum fungimur, vos ad formam septuaginta duorum discipulorum estis. Nos pastores vestri sumus, vos autem pastores animarum vobis commissarum. Nos de vobis rationem reddituri sumus summo Pastori nostro Domino Jesu Christo, vos de plebibus vobis commendatis. Et ideo, fratres dilectissimi, videte periculum vestrum. Admonemus itaque, et obsecramus fraternitatem vestram, ut quæ vobis suggerimus, memoriæ commendatis, et opere exercere studeatis. In primis admonemus, ut vita et conversatio vestra sit irreprehensibilis. In domibus vestris mulieres non cohabitent. Omni nocte ad nocturnas

horas súrgite. **O**fficium vestrum horis certis decantáte. **N**ullus, nisi jejúnus, Missam célebret, et non in véstibus commúnibus, sed sacris, et nítidis, amíctu, alba, cingulo, manipulo, stola, et cásula, quæ ad álios usus non sérviant. **M**issas religiósé celebráte: Corpus, et Sánguinem Dómini nostri Jesu Christi cum omni reveréntia, et tremóre súmite. **C**orporália mundíssima sint. **V**asa sacra própriis mánibus ablúite, et extérgite diligénter. **N**ulla fémina ad altáre Dómini accédát, nec cálicem Dómini tangat. **A**ltáre sit coopértum mundis línteis, saltem tribus divérsis. Et désuper nihil ponátur, nisi reliquiæ, ac res sacræ, et pro sacrificio opportunæ. **M**issále, Breviárium, et Martyrológium unusquisque hábeat. **E**cclésiæ vestræ bené sint coopértæ, et mundæ. **I**n sacristiis sive secretáriis, aut juxta altáre majus, sit locus præparátus ad infundéndum aquam ablutiónis corporálium, et vasórum sacrórum, ac mánuum, postquam sanctum Chrisma, aut óleum Catechumenórum, vel Infirmórum tractáveritis. **I**bique pendeat vas cum aqua munda, pro lavándis mánibus Sacerdótum, et aliórum qui rem sanctam et officium divínium sunt peractúri, et prope, línteam mundam ad illas abstergéndam. **A**tria Ecclésiæ sint bene muníta. **N**ullus sine scítu, et consénsu nostro, per potestátem seculárem, Ecclésiám obtíneat. **N**ullus Ecclésiám, ad quam intitúlatus est dimíttat, et ad áliam quæstus grátia se transférat. **N**ullus plures Ecclésiás sine título, et contra sacrórum Cánónum dispositiões nancisci præsumat. **N**ullátenus étiam una Ecclésiá inter plures dividátur. **N**ullus extra Ecclésiám in locis non consecrátis célebret. **N**ullus altérius parochiánum, nisi itinerántem, et tunc de Rectóris sui licéntia ad communionem recipiat. **N**ullus in altérius paróchia absque próprii Sacerdótis licéntia Missam célebret. **I**n celebratióne, quisque Cálicem, et obláta, non circulo, aut digitórum vacillatióne, ut quidam faciunt, sed junctis et exténsis digitis cruce signet,

sicque benedicat. **C**alix, et paténa sint áurei, vel argénteí, non ærei, aut aurichálcei, vítrei, vel lignei. **Q**uisque Présbyter cléricum hábeat, vel scholárem, qui cum eo Psalmos cantet, Epístolam, et Lectiόνem legat, et in Missa respóndeat. **I**pse quoque Présbyter infirmos visitet, et reconciliet, et juxta Apóstolum própria manu commúnicet, óleo sancto inúngat. **N**ullus præsumat trádere communionem láico aut féminæ, ad deferéndum infirmo. **N**ullus pro baptizándis infántibus, sive adúlts, aut infirmis reconciliándis, aut mórtuis sepeliéndis, præmium vel munus éxigat. **P**er negligéntiam vestram nullus infans sine Baptismo, et adúlts sine Communióne péreat. **N**ullus vestrum sit ebriósus, aut litigiósus. **N**ullus arma ferat. **N**ullus canum, aut ávium jocis insérviat, nullus in tabérnis bibat. **Q**uisque vestrum, quantum sapit, de Evángélio Domínico et céteris festívis diébus suæ plebi annúntiet. **V**erbum Dómini prædicáte. **C**uram páuperum, peregrinórum, viduárum, et orphanórum hábete, ipsósque peregrinos ad prándium vestrum vocáte. **E**stóte hospitáles, áliis exínde bonum exéplum præbéntes. **S**íngulis diébus Domínicis ante Missam, aquam, qua pópulus aspergátur, benedicite, ad quod vas próprium hábete. **V**asa sacra et vestiménta sacerdotália, nolite negotiátóri aut tabernário in pignus dare. **M**inus digne pœniténtem cujuscúmque rei grátia ad reconciliatióne non addúcite, neque ei reconciliatiónis testimoniúm perhibéte. **U**súras non exigite. **N**ec facultates vestras post ordinatióne vestram acquisitas alienáte, quóniam Ecclésiæ sunt. **N**ullus étiam res, possessiões, aut mancipium Ecclésiæ véndere, commutáre, aut quocúmque ingénio præsumat alienáre. **N**ullus décimam altérius recipiat. **N**ullus pœniténtem, carnem manducáre, aut vinum bibere invitet, nisi pro eo tunc eleemósynam fécerit. **Q**uisque fontes baptismáles lapídeos hábeat bene mundos; quos si hábere non póterit, vas áliud ad hoc opus solum deputátum téneat. **O**mnibus

parochiânis vestris symbolum, et orationem Dominicam insinuâte. **J**ejunia Quâtuor Tëmporum, et âlia Ecclesiæ mandata significâte observânda. **A**n**te** **Q**uadragësimam quarta fëria populum ad confessionem invitâte, et confëssis juxta qualitatem criminum pœnitentiam injungite. **T**ribus temporibus in anno, id est, Nativitâte Domini, Pascha, et Pentecoste, omnes fidèles accêdere ad communionem corporis Domini nostri Jesu Christi admonëte, et ne omitat, quin saltem in Pascha communicet. **C**ertis temporibus conjugâtos abstinëre ab uxoribus exhortâmini. **N**ullus vestrum rubeis, aut viridibus, vel laicâlibus vëstibus utâtur. **D**iem Dominicam, et cëteras festivitâtes, absque ôpere servili, a vëspëra in vëspëram celebrâri docëte. **C**antus, et chorëas mulierum in âtrio Ecclesiæ prohibëte. **I**ncantatiônes super môrtuos noctûrnis horis a vulgo fieri consuëtas sub contestatiône Dei omnipotëntis vetâte. **C**um excommunicâtis nolite communicâre : **N**ec quis vestrum in eôrum præsëntia celebrâre præsûmat, quod étiam plebi nuntiâte. **E**t nullus ex plebe uxorem domum ducat, nisi prius nuptiæ temporibus ab Ecclesiâ permissis públice fuerint celebrâtæ. **Q**uod nullus ad raptam, vel consanguineam accêdat, aut altërius sponsam ducat omnimodis prohibëte. **P**orcârios, et âlios pastôres, saltem Dominica die faciâtis venire ad Missam. **P**atrinus, ut filiolos Symbolum et Oratiônem Dominicam dôceant, aut docëri faciânt, exhortâmini. **S**acramëntum Eucharistiæ, sanctum Chrisma, et Oleum Catechumenôrum, ac sanctum, seu Infirmôrum, in Ecclesiâ in loco mundo, condecënti, et secûro, sub sera, et fida custôdia diligënter servâte. **Q**uisque vestrum expositionem Symboli et Oratiônis Dominicæ juxta orthodoxôrum Patrum traditiones penes se hâbeat, eâsque atque Oratiônes Missârûm, et Epistolas, Evangélia, et Cânonem bene intëlligat, ex quibus prædicândo, populum sibi commissum sêdulo instruat, et mâxime non bene credëntem. **I**ntrôitum Missæ, Oratiônes, Epistolam,

Graduâle, Evangélium, Symbolum, et cëtera non secrëta, alta et intelligibili voce próferat. **S**ecrëta vero, et Cânonem, morôse et distincte submissa voce legat. **P**salmôrum verba, et distinctiônes, regulâriter cum Cânticis consuëtis intelligibilter pronúntiet. **S**ymbolum sancti Athanásii de Trinitâte et fide Cathôlica memôriter teneat. **E**xorcismos, et Oratiônes ad Catechûmenos faciëndos, ac rëliquis preces super mâsculum, et fëminam, plurâliter, vel singulâriter respective distincte próferat. **O**rdinem baptizândi, et ad succurrëndum infirmis, reconciliatiônis, et commendatiônis animæ, et in agëndis exëquiis defunctorum, juxta modum canonicum obsêrvet. **E**xorcismos, et benedictiônes salis et aquæ pertinënter legat. **C**ânticum diûrnum, et noctûrnum sciat. **C**ômputum étiam minôrem ad inveniëndum litteram Dominicâlem, tempus intervâlli diëi Paschæ, et majôrum mobillium Festôrum non ignôret. **V**olumus autem, fratres dilectissimi, quâtenus quæ nostra percepistis traditione, bonis studeâtis opëribus adimplëre, præstante Dômino nostro Jesu Christo, cui cum Patre, et Spiritu sancto, est honor et glôria in sæcula sæculôrum.

**T**um Pontifex, dimissa mitra, surgit, et stans versus ad altare, dicit absolute :


OREMUS.

**N**ULLA est, Dômine, humanæ consciëntiæ virtus, quæ inoffense possit tuæ voluntâtis judicia experiri, et ideo, quia imperfëctum nostrum vident ôculi tui, perfectiôni dêputa, miséricors Deus, quod perfëcto æquitâtis fine concludere peroptâmus : te in nostris principiis occursôrem popôscimus, te in hoc fine judiciôrum nostrôrum indultôrem nostris excëssibus sperâmus, scilicet, ut ignorantia parcas, errôri indulgeas, ut perfëctis votis perfëctam opëris efficiãciam largiâris : et quia consciëntia remordënte tabëscimus, ne aut ignorantia nos

tráxerit in errórem, aut præceps fórsitan volúntas impúlerit justitiam declináre; hoc te póscimus, te rogámus, ut si quid offensiónis in hac Synodi celebritáte contráximus, te miseránte, indulgéntiam sentiámus : ut in eo, quod solutúri sumus aggregátam Synodum, a cunctis primum absolvámur nostrórum néxibus delictórum; quáliter, et transgressóres vénia, et confiténtes tibi, subsequátur remunerátio sempitérna. Per Christum Dóminum nostrum. *ñ.* Amen.

Deínde benedicit solemniter omnibus, dicens : Sit nomen Dómini benedíctum, etc.

Et dat indulgentiam. Quibus peractis, Archidiaconus stans juxta Pontificem, dicit alta voce :



Re-ce-da-mus cum pa-ce.

Et respondent omnes :



In no-mi-ne Chri-sti.

Tunc omnes pariter surgentes, Pontificem cappa indutum cum superpelliceis ad domum reducunt. Si vero in primo die vel in secundo omnia negotia Synodi expediuntur, approbatis omnibus, et conclusione Synodi facta, Pontifex sedens cum mitra, ut supra, commendat se omnium orationibus, et leguntur nomina interesse debentium, admonentur per Pontificem congregati, et alia fiunt, prout supra sunt ordinata.

## ORDO SUSPENSIONIS,

RECONCILIATIONIS, DEPOSITIONIS, DISPENSATIONIS,  
DEGRADATIONIS, ET RESTITUTIONIS  
SACRORUM ORDINUM.

**P**RÆNOTANDUM est, quod Clericus quandoque suspenditur, quandoque deponitur, quandoque degradatur: Suspenditur quis quandoque ab homine, quandoque a jure, et quandoque ad tempus, quandoque in perpetuum.

Ab homine, quando Prælati sic in scriptis pronuntiat.

**Q**UIA constat te tale quid commisisse, ideo ab officio, et executione Ordinum tuorum te suspendimus.

Vel quando fit in genere, dicit :

**Q**UICUMQUE tale quid fécerit, aut non fécerit; ipsum in his scriptis suspendimus, vel in his scriptis nóverit se suspensum.

Hujusmodi autem suspensionis sententia taliter revocatur :

**Q**UIA de tali negotio, propter quod suspensionis sententiam incurreras, emendationem plenam, et poenitentiam condignam egisti, ideo sententiam suspensionis hujusmodi misericórditer relaxamus.

Illud autem sciendum est, quod simpliciter et sine temporis præfinitione ab homine vel a jure suspensus perpetuo intelligitur esse suspensus; ad tempus vero suspensus, utpote donec poenituerit, vel a crimine abstinerit, eo ipso, quod abstinet, vel poenitet, executionem sui officii recuperat; nec alia est reconciliatio, seu sententiæ suspensionis relaxatio necessaria. Ad hæc Clerici publice delinquentes, et enormiter, executionem sui Ordinis secundum Canones perdunt; et etiam post peractam poenitentiam ab executione suorum Ordinum